

9  
PAPIRII MASSONI

Responsio,

A D

*MALEDICTA HOTOMANI*  
*cognomento Matagonis.*



PARISIIS,

*Ex Typographia Dionysij à Prato, via Amygdalina, ad Veritatis insigne.*

1575.







IVDICIVM  
PAPIRII MASSONI  
de Franco-gallia Hotomani.

**I**N famoso libello Francisci Hotomani plus iracundie est quàm scientie: & qui Iuriconsultum se esse profiteretur, graviter in eo peccat, quòd ius suum tribuit nemini: nisi fortè antiquato veteri iure, novum nomen & adhuc inauditum Hotomanicæ sciētiæ civibus suis exul mittit. Exulem esse turpe est, & patriæ nihilominus desiderio teneri, cuius mores, ritus, leges, instituta plurimùm damnes. Multa ex annalium monimentis de Francis & Franco-gallia ad mendaciū sui defensionem, & oppugnationem sacrosanctæ veritatis profert, malignè simul & impudenter aliquid falsi singulis capitibus addens de suo. Gregorij Turronensis, Aimoini, Reginonis, & Sigeberti monachorum testimonia probans, facit contra decus & dignitatem Geneuensis doctrinæ, quæ talium hominum, propter dissimilitudinem religionis, anna-

# PAPIRII MASSONI

les quasi viliores Volusianis, improbare consuevit. Multus in eo est ut doceat, Reges in Gallia, spreto successionis iure, electos vocatosque ad regnū: quod si factum est, & raro accidit, & exemplo, non iure factum constat. Quod enim exemplo fit, non etiam iure fit. Annis ab hinc sexcentis perpetua serie nostri Reges ad heredes suos regnū transmissere: quod instar optimæ legis esse potest, ne tricennij præscriptionem aut centenariam opponam Iurisconsulto, cuius beneficio posteritas satis tuta esset. Neque novum est, propter ætatem, vel propter socordiam paucorum Regum, iura successionis violata esse, ut sub Childerico accidit, quem gratia Pipini, Regni opibus apud Pontificem Zachariam, & Gallie Proceres quaesita, dignitate & sceptro spoliauit, Rege illo natura imbelli, & ad omne genus otij relegato, cum Reges toto anno in gurgustiiis potarent, & Calendis Maiis similes pinguibus porcis sese populo spectandos committerent, ut Hotomanus ex Cedreno annotauit. Cuius orationem illam nescio an legerit, Reges Francorum & Reges succedere parentibus suis solitos. Sed ille locus ad mendacij defensionem peti non debuit. Hoc violati iuris exemplum in Childerico, renouatum est & mox damnatum à Concilio Francorum, Carolo Simplice rege, qui posthumus patri desertus est ab aulicis, in fido hominum genere: & reges dicti, Crassus urgente Normanico tumultu: post eum Odo, qui ipse supremis verbis proce-



res hortatus est, ut Carolum tandem agnoscerent legitimum heredem, uti factum est. Sed vis iterum & carcer iura violauit, electo Rodulfo, bene indicantibus Superis, qui breuē tot falsis Regibus vitā, diuturnam autem Carolo, modò Regi, modò priuato, semper tamen afflicto, concessere: ut quod iuris erat ad Ludouicum filium hereditatem transmitteret. Et ista pessimi nominis exempla Iurisconsultus proferre audet, qui apud Iustinianum legit, non exemplo, sed legibus indicandum? Hugoni verò Capeto, fato functis Caroli magni nepotibus, auctoritatem & gratiam qua sibi Proceres, qua plebem & omne genus hominum deuinxerat, iter ad regnum fuisse constat: cūm hominem clarissimis natalibus in Gallia natum maiores nostri extraneis præferendum indicarent. Quod euentus docuit huic regno, prodesse, nunquam tot seculis mota super iudicio gentis querela. Nec satis erat Hotomanum, ut maiestatis reus esset, fulminasse aduersus Regiam potestatem, quam homines malenati ferre non possunt, Senatū Parisiensem iaculis veneno delibutis lacerare ausus est, qui in illo suo exilio (in quo æternūm pereat) neque vidit neque vnquam videre poterit quicquam angustius. Quid enim simile habent tabernæ Heluetiorum aut Germanorum popine vino madentes? Et quidem affirmare non dubito, in Basilica Parisiensi sola plures esse doctissimos homines & iuris peritissimos, quàm in altera

PAPIRII MASSONI

patria magni huius Catonis, qui non, ut ille, sapiēs:  
sed, ut ille potus, in aliquo ænopolio forè hunc  
libellum furoris & insaniæ plenum euomuit: ut ve-  
rissimè Cuiacius dixisse videatur, quod penè prate-  
rieram, scripta Hotomani scutica egere. Hoc est iu-  
dicium meum de Franco-gallia. quod nomen malus  
Grammaticus parùm aptè iunxit. Ad illos menda-  
ciorum aceruos vir clarus Antonius Matharellus  
ita respondit, ut possit ceteros à refutando deterrire:  
nec rogati sumus ut responsioni eius hanc breuissi-  
mam orationem veluti præuiam insereremus. Quod  
facimus, sponte factum est: ut sciat Hotomanus  
esse in Gallia tyrones qui cum Æsrnino certare  
audeant. Tametsi quid necesse est hunc Æserninum  
dicere, qui Romani Marforij aut Pasquilli nomen  
potiùs sibi vindicare debeat?







# PAPIRII MASSONI

## Responsio,

AD

*Maledicta Hotomani cognomento  
Matagonis.*

**D**RIVATA QUORUM-  
dam suasione scriptus  
est libellus in me & cō-  
plures alios, cuius autor  
Hotomanus esse dici-  
tur. Scilicet Turcici nominis pertæsus  
Matago nominari maluit, vt magis bar-  
bara & formidabili voce in familiam  
translata, princeps Matagonum olim à  
posteris & gentilibus suis fuisse existi-  
metur. Sunt Geneuæ in tabernis lanio-  
rum immanes molossi hoc Matago-  
num nomine. Caueat igitur, quando  
propter similitudinem naturæ hac voce  
delectatur, ne liberi, si quos habet, ori-  
ginem à rabido cane traxisse videantur.

Mutatio nominis innocenti periculosa non est. At reus maiestatis quoties nomen mutat, toties dignior est non dicam exilio, carcere, proscriptione, sed incendio & grauiori pœna, si qua excogitari potest. Primo impetu Matago furens in Cuiacium latrat, quem omnes Europæ gentes laudât. Solis Geneuensium magistris non placet. Cur ita? quia pacatam iurisprudentiam diligit, ipsi sanguinariâ præferunt. At Cuiacium à me defendi turpe sit, causam suam agat maximus Iurisconsultorum, neque à similiis Luciani nomen suum rideri patiatur. Laniato Cuiacio, bestia rictum in me suum dirigit. Dirigendi causa est, quòd in Hotomanum & eius Franco-galliam horrendum carmen pronunciasse videor. Iudicium meum cùm reformidas, mihi que quàm auctori responsionis ad calumnias tuas infensiores Hotomane, more reorum facis, qui licet non iniuria damnati, neminem tam acrius quàm iudicem oderunt. At audi, iudex sum, non quæsitior. Ego e-



nim mitior fui quàm iudicem decuit. Calsius & Varius seueriorem in te actuos sententiam dixissent. Quæris quo iure iudicium in te pronunciarim: ego vicissim interrogo ecquo iure tu in patrias leges, in regiam potestatem, in magistratum sententiam tuleris? nam iudicandi potestas ei data censi debet, qui iuris autorem aduersus iuris inimicos defendere conatur. Quòd si iniuria damnatus es, Cæsare appella, non Iustinianum illum mundi dominum: is te lege Pompeia patricidij damnaret, Iulia adulterij & maiestatis: neque incitum Maximilianum, qui rebellionis autores desertorésque principum nunquam amauit. Prouoca igitur ad Cæsarem tuum, cuius auxilio me oppugnas: is est Henricus Stephanus princeps Atheorum, qui stili deformitatem & insulsos sales tibi suppeditauit ex illa mirabili ad Herodotum Apologia. Aut si vis prouoca ad eos qui tibi falsò scripsere commendatam fuisse à me Matharelli ad mēdacia tua respōsionem. His iudiciis

causa cadere non potes, quia magistrum suum Matagonē tanti faciunt, ut quicquid ille velit sibi faciendum putent. etiamne si eos in senatum Parisiensem faces ferrē velit? nota est Blossii Cumani respōsio, nota amētia, notē pœnæ quas reip. graues iustasque persoluit. Quæris deinde quis sim, aut vnde sim, & ubi hoc Papirij nomen repperim. Ad primum caput respondeo, hominem me esse, cū tu bestia esse malis. Contentus es responsione mea? Ego sum Balduini auditor, illius inquam Balduini, qui restuas gestas pulchrē per Fabricium descripsit. Quid tremis, aut quid hoc nomen horres? Si mihi stomachum moueris, implorabo manes boni Iurisperiti. viuius enim quā te oderat, tam me amabat, Hotomane. igitur si accurrero ad eius tumulum, suppedabit pius doctor, si ratione vteris, argumenta: si conuiciis, probra: si facietis, pungentes aculeos. Cæterū manibus optimē de me meriti doctoris molestus non ero, nisi tu aliter egeris causam tuam, & Frā.



co galliam eleganti stilo, non rancida oratione, argumentis, non iocis, palam, non furtim defenderis. Secundo quæris unde sim. hoc Pilatus à Christo Iesu quæsiuit. igitur mihi liceat non subire tribunal tuum, quando tantopere declinas meum. Postremo scire cupis, Papirius cuius sancti nomen sit? Diaconus Ecclesiæ Pergamenæ Papirius fuit. Hoc te martyrologia docere potuerunt. at tu illa non legisti, neque vllum festum diem magni facis, nisi Bartholomæi Apostoli, cuius precibus fugere didicisti. O fugitiue, in iudicio illo meo quid primum reprehendis? scripseram mirari me cur monachorum testimonia probares, atque id fieri abs te contra decus & dignitatem Geneuensis doctrinæ. Tu verò contēdis iure factum. licere enim litiganti ius capere ex dictis & instrumentis alterius partis, & cum qui pro se produxit instrumentum, teneri etiā illud contra se recipere. ergo iam repellere monachorum testimonia non potes: at illi testantur te & socios tuos

nullam pietatis partem colere. si vos  
 eorum dictis stare oportet, impij estis,  
 hæretici estis. hæreticos enim definiunt  
 eos, qui à Romanæ Ecclesiæ vestigiis  
 defectionem fecere. Grauior disputatio  
 sequitur. Quæstionis est, vtrum reges  
 Galliæ ex successione fuerint, an verò  
 ex electione. sexcentis ab hinc annis ex  
 successione non negas fuisse. quod si  
 ita est, cur Galliæ populos ad comitia de  
 regno vocas infamis præco? at, inquis,  
 de primis temporibus contentio est.  
 Theodebertus Clodouei nepos Theo-  
 dobaldum filiū habuit, de eo Agathius  
 illius temporis historiographus scribit  
 in hunc modum. Theodobaldus Theo-  
 deberti filius regnum suscepit, quem et  
 si iuuenis admodum esset, & sub præda-  
 gogo adhuc nutrire-  
 tur, lex tamen pa-  
 tria ad paternum regnum vocabat. Idē  
 ait, Franci cū optimum degant vitæ  
 genus, seipsos imprimis & proximos  
 quosque peruincūt, & ex parentibus fi-  
 lij regna suscipiunt. quid magis per-  
 spicue dici potuit de iure successionis?



aut quo sophismate grauissimi scriptoris vocem eludes: ad Cedrenum venio. Memoria, inquit, proditum est regem Franciæ, consuetudine sic obtinente, regnum per stirpem à maioribus suis ad se delatum gerere. ac ne interpretem falsi accuses, verte in Latinum sermonem ipsius auctoris verba. *ἰστορηται δὲ, ὅτι ἔθος αὐτοῦ τὴν πᾶντα φραγνύει καὶ τὰ γένος ἀρχαῖα.* libenter expungeres hunc Cedreni locum: nec verò de tempore suo loquitur, vt ineptè tibi persuasisti. nam hoc scribit ad annum septimum Leonis Iconomachi, qui regnare cœpit anno septingentesimo tertio, cùm in Gallia regnaret Childebertus secundus. Vter igitur sophista est, tu qui eludis, an ego qui dilucida illius auctoris oratione probo Reges Francorum primis temporibus ex successione sceptrum in Gallia tenuisse? idque inueteratæ consuetudinis beneficio factum, aut si Agathium præfers, patria lege? consuetudo autem huiusmodi, siue patria lex, quantam vim habent Iuris consulte? At Cedrenus recens scri-

ptor est. Vixit Isaacio Comneno Cæsare, num recentior Sigeberto, Vſpergenſi, Othone, quos tu testes producis, cū de primis temporibus mentionem facis? neque huius egregij ſcriptoris teſtimoniū repellere potes, quia illo vteris. Sexaginta reges in Gallia habuimus Hotomane. ex tanto numero plures ſeptem & quinquaginta ſucceſſione regnum tenuere, reliquos aut arma, aut gratia, aut odia fecere. Acuta igitur eſt ratiocinatio tua: aliquis rex electione factus eſt, ergo omnes Gallix reges electione factos conſtat. ô decus ſcholæ Peripateticæ hoc aureum enthimema vnde hauſiſti? ſed quia ad Pipinum & poſteros eius me vocas, dicam de iis quod ſentio. Extat Synodus Sueſſione habita anno ſeptingēteſimo quadregēſimo quarto, in cuius præfatione Pipinus Principem & Ducem Francorum ſe vocat, Childericum autē regem Frācorum. Carolus Martellus quadam epiſtola Gregorii tertii Princeps Francorū appellatur, & literæ Ludouici Pij ad



Hilduinum extant, quibus Carolum proauum suum principem Francorum nominat. Hæc erat prima ab rege dignitas, qua contentum viuere Pipinum oportuit. At imperij causa ius violauit, relegato in monasterium domino suo. subditus quo iure tantum potuit? hoc enim perinde erat ac si pedes turbato ordine naturæ capitis locum obtinere uoluissent. Posteritamen eius successione & hæreditario iure regnum tenuere, donec occulto dei iudicio ad aliam gentē diadema transiit, quam cælitibus tandiu placuisse tibi ac tui similibus semper displicuit. Extāt literæ Fulconis Remorum Archiepiscopi ad Arnulphum Cæsarem pro causa Caroli Simplicis, quem etsi puerum vnixerat in regem, literis illis factum defendit affirmans gentem Francorum reges ex successione habere consueuisse, atque hanc fuisse Caroli, etsi impuberis, inaugurandi causam. Quid mihi Odonem, quid Rodulphum memoras? Odonem inquam iceleris sui ac suorum in morte conscium. Si

„geberti enim verba sunt: Odo rex Frã-  
 „corum moritur, obtestans primates ve-  
 „Carolum in regno reciperent. quales  
 autem erant primates illi, qui vendi-  
 tis suffragiis, contra morem maiorum,  
 contra iuris & æquitatis disciplinam  
 tutori aduersus pupillum adfuerant?  
 si quis enim scire cupit quàm ingrato  
 animo hic Odo fuit, Vitichindum Sa-  
 xonem legat, veterem scriptorem ac  
 fide dignum. reperiet Odonem vnus  
 serui, cùm in Galliam venit, dominum,  
 perfidia sibi regnum vendicasse, spreta  
 Caroli pupilli sui pueritia. Adeo illius  
 ætatis proceres non pudebat perfidiæ  
 ac rebellionis suæ. Sequitur Rodolphus  
 quem Vitichindus contra ius fãsque  
 omne regem constitutum scribit. Tua  
 igitur turbulenta comitia vide quàm-  
 fuerint iusta. Concilium publicum Eu-  
 ripus est, & rarò sapientia populus, sæ-  
 pius ira, odio, atque impetu regitur, ac  
 modò idem velle, modò nolle plebeius  
 est morbus. Videlicet quo iure Carolus  
 ab Heriberto in carcerem cõiectus est,



eodem Odo & Rodulphus regium  
nomē adepti sunt. Quo autem iure (Ho-  
tomanicum semper excipio) à seruo do-  
minus, à cliente patronus in vincula ra-  
pi potest? factiones erant in Gallia, vti  
hodie sunt, tua ac tuorum opera. Heri-  
bertus & cæteri partium duces pro ar-  
bitrio suo tyrannos designabāt. Huius-  
modi exempla admodum placēt segre-  
gi Hotomano, adeo spoliante reges no-  
stros autoritate sua, vt seruos comitio-  
rum eos faciat, detrahātque omnia, præ-  
ter vile carpentum, quo bubus iuncto  
iterum ad comitia trahi debeant. Tibi  
extrema placent semper vitiosa. Quod  
vis, valde vis Brute? nos mediam potiùs  
viam sequimur, vt neque comitiis tantā  
in reges, neq; regibus liberam subuer-  
tendæ æquitatis ac violandi iuris pote-  
statem à Deo datam putemus. Sapienter  
illud dictum est à Geneuensium docto-  
re. Vix vnquam tam bene habuerunt  
res humanæ, vt pluribus placerent  
meliora. Tibi quidem deteriora semper  
placere ac tuis. Vos enim seditiones,

sanguinem, rapinas, furta, conuicia nimium amatis. Addo etiam adulteria, addo insanas libidines, quarum & magistri & scriptores estis. Venerunt illæ tibi in mentem, cum percontari voluisti vnde ego cucullus prodierim. Vxor mihi nulla est fatue, nec vnquã fuit; de futuris contingentibus nihil certi definiri potest. At ageris, & si vxorem formosam habes, redi cum ea in patriã, vt in agro tuo cucullus aliquis tempestiuè nidum habeat, ac præclarũ de te elogiũ audias, Cornu ferit ille caueto. Nescio an hæc vocem vnquam audieris, at hoc scio malæ Latinitatis argui nõ posse, sicut ex Frãco, gallia tuũ illud (Et etiam). Quòd senatũ Parisiensem scripsi abundare doctissimis hominibus, neque vquam esse in Germania celebriorem locum, id verò animum tuum perculit? quid ita proditor patriæ? quia Germaniæ alumnus, id est Gallorũ hostis videri cupis, atque vbi non sis non credis eruditioni, doctrinæ, sapientiæ locum esse. Tantum enim tibi arrogas, vt in mente



tua latere putes arcana omnium scientiarum. Grammaticus quidem nuper factus es, & editis ad Cæsarem nescio quibus scholiis, quæ pueri in ludo quotidie rident. Dic quæso Sisyphæ, cum apud Diuum Iulium legis, Segusianos clientes Heduarum cis Ararim incolere, qui sunt hodie Segusiani? Si hunc nodum solvere potueris, scies unde sim: nam quis quantusque sim annales mei olim loquentur, scripti de ciuilibus incendiis, quibus miseram & infortunatam patriam duodecim iam fere annorum spatio exarsisse memoras. Cur infortunatam, Hyperbole, nisi ob tuam ac sociorum tuorum improbitatem? Equidem in annalibus meis locum tibi lubens seruabo, inter inuidos, Balduino enim & Cuiacio plurimum inuidisti: inter sicarios, quia gètes Regis imperio subditas ad arma, ad licentiam, ad scelus vocas: inter parricidas, quia barbaros acuis ad exitium & vastitatem patriæ. Amici autem tui queruntur factam à me œnopolii mentionem. Plautum fortè nunquam

legerūt, neq; quid sit ænopolium satis capere possunt. Si hypocaustū malunt, non recusō. hypocaustū enim est hara egregiè sorbentiū porcorum, quales istic esse incredibili numero nō negabis bonæ fidei arbiter. Tu inepta allusione ad trullā me relegas: ego te ad illam harā amicorum tuorū, in qua sis quotidie ad maledicendū paratior. Iterum dico Frāco galliam tuam furoris & insanix plenam esse, plūsque veneni in cauda habere quā in fronte, cū eversa regum autoritate, mācipia concilij publici eos esse iubeas. Quid est furere, si hoc non est? at amici tui tantum insanix in te ac libello tuo esse negant. quid mirum? iidem, si velles, negarēt Deum esse, præsertim pius ille Stephanus vnus ex dictatoribus tuis. Aiunt præterea amici tui fuisse quinquaginta ab hinc annis doctos viros in Gallia. hoc quidem nemo sciebat præter amicos tuos. Nam quòd adiiciunt neminem tam diligenter obseruasse ea, quæ ad Francorum ortum, ad maiorum institutum, ad an-



tiquæ reip. rationem pertinebant, ea, ea  
est meretricia, ut ipsi loquuntur, impu-  
dencia, mutuati à Ioanne sectæ magistro  
hoc familiare loquendi genus. quin ver-  
sum quoque facere voluerunt, ut Theo-  
dori poetæ discipuli videantur (flagris  
& carcere digna) flagris & carcere di-  
gni. quid enim habet liber ille quod  
mediocriter eruditi non legerint? imò  
quod ipse non legerit in commentariis  
diu ante Franco galliam excusis? falsa  
excipio, quorum inuentio tua est Ho-  
tomane, tua Matago, canis tua est. Nūc  
age, cum omnes iudicii mei partes ac  
pene singulæ voces te offenderint, cur  
ille locus non refellitur, quo Romani  
Marforij, quo Pasquilli nomen maie-  
statituz defero? an quia ex his verbis  
occasionem sumpsisti publicandi illius  
Pasquilli, quem Genevæ excusum, &  
publicis equis vectum ad exploratores  
tuos continuo Lutetiam misisti? Quo-  
niam autem iudicia mea tantopere re-  
formidas, sedebo iterum pro tribunali,  
ut paulo seueriorem in te ac tuos sentē-

tiam feram. Quo iure? Canonicum odisti, ciuile refugis, iure Papiriano utar. Scripta Hotomani tympana sunt, non arma. Ineptam legum & diſteriorum rapsodiam continent, Roſcio aut Ganacio dignam, iuriſconſulto certè indignam. Conuiciis agit in Cuiacium & Matharellum iuriſconſultos: in Ronſardum, Auratum, & alios poetas: optamus ut iuriſconſulti lege experiantur, poetæ par pari referant. Claram Aruernorum gentem ridet veluti fecundam aſinorum matrem: ergo ſeipſum primus ridet, qui Michaelis Aruernorum doctiſſimi orationem Aureliæ habitam ſeriò laudauit: & quia Aruernis vicina mihi patria eſt, ſciat Aruernos Paſtini generis aſinos eſſe, qui ut Origenes ait, pernices equos facilè curſu ſuperant. Italos veluti Galliæ expilatores & Allienſis pugnæ tubas acriter mordet. Vallam Itali ab inferis redimant, Marforium & Paſquillum gladiatores, & beſtiarios omnes, qui è ludo Lentuli profugerūt, & hanc ſibi inuſtā macur-



Iam seu voce, seu aqua, seu cruore, seu  
quavis arte deleat, modò deleant. Octa-  
uum diem Calend. Septemb. inter atros  
& funestos numerat : Romani inter  
dies Domini propter Diui Bartholo-  
mæi, & rerum gestarum memoriam.  
Grammaticum agit & Aristarchum,  
notam apponens ad malum versum.  
Ego Cassium ago, ac primùm quæro,  
cui bono? deinde conuictum Prisciani-  
cæ maiestatis Hotomanum damno co-  
gnomento Matagonem. Sic enim clau-  
sit caput xiiij. Franco galliæ suæ. Sed iam  
tempus est ad institutum nostrum redi-  
re. Quod Sosipater, Diomedes & alii  
testes omni exceptione maiores satis La-  
tinè dictum negauerunt, tanto numero,  
vt cùm aliquot iam auditis, alii tamen  
citarentur, pronunciauerim clara vo-  
ce vetus dictum Auli Varii, aut hoc te-  
stium satis est, aut nescio quid sit sa-  
tis. Interrogavi eos de Hunibaldo an  
inter Historiographos probatæ fidei nu-  
merari possit. Risere continuò omnes,  
ego verò imperato per præconem silen-

tio, mandaui vt seriò responderent. V-  
 na voce testati sunt, Hunibaldum non  
 esse Historiographum, aut scriptorem,  
 cui fides haberi debeat. Nos audito  
 illorum testimonio, & lecta diligenter  
 Hermanni Comitís natione Germani  
 de Hunibaldo sententia, quæ præiudi-  
 cii instar est, pronunciamus Horoma-  
 num, Henricum, eorum exploratores,  
 & cæteros lurcones, comedones, ven-  
 trésque Horomanicæ sectæ nihil agere,  
 quoties Hunibaldum illum testem ci-  
 tant, qui nunquam fuit, nec esse potuit.  
 Simul Matagonem maledicendi studio  
 infectum iudicio de Famosis libellis te-  
 neri pronunciamus. Etsi autem Præsi-  
 dis nomen nondum adepti sumus, dabi-  
 mus certè operam, vt aliquando non in-  
 digni tanto tamque augusto honoris  
 gradu existimari possimus. Simul mo-  
 nemus Matagonem & socios, vt æter-  
 num sileant, & hanc eis pœnam infli-  
 gimus, quia nimium impudenter de  
 Matharello locuti sunt, quem omnes  
 probi virum bonum, pacis publicæ



amantem, pietatis studiosum, eruditum, sine fūco, sine dolo viuere testantur, ac familiam habere, quæ tantum abest ab stultitia, impietate, impudicitia Hotomani & sociorum, quantum illi à sapiētia, pietate & pudicitia semper abfuerunt. igitur maledicta, quæ in pios euomisti Hotomane, Theodorus tortor Galliarum tibi in os regerat, donec ea deglutieris, asine, mule, fatue, protofatue, cuculle, bardocuculle. eidem tortori permittimus ac liberum esse volumus, te ac tuos præcipites dare in lacum Lemantum, cuius ille accola fuit ab eo tempore quo ad Acturā Carnutum amnem, spectato horribilis pugnae initio inglorius fugere maluit, quàm in Druidum campis pro magistri disciplina fortiter pugnando vitam amittere.